

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De imponendis nominibus Christianorum in baptismo, & de haereticis  
fidem Trinitatis, & formam baptismi integrum retinentibus; & de aliis non  
retinentibus, dignis peiore nomine; & de modo eos ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

alio quodam ordinando loquens: Si nulla, inquit, ei crimina, qua  
per legis sacræ regulam morte mulctanda sunt, obuient: peccata  
mortalia, quæ a regno Dei excludunt, dicit morte mulctanda secun-  
dum regulam legis sacræ, qualis est illa: Neque fornicarii, nec idolis  
seruientes, nec adulteri, neque molles, &c. regnum Dei possidebunt.

*De non flectendo genua in oratione.*

### C A P V T X X I X .

C. Ni. 20. In oratione Dominici diei, & in diebus Pente-  
costes, & in magnis festis Domini oportet non fle-  
ctere genua, sed stantes orare, & inclinari.

*De imponendis nominibus Christianorum in baptismo, & de hereticis  
fidem Trinitatis, & formam baptismi integrum retinentibus; &  
de aliis non retinentibus, dignis peiore nomine; & de modo  
eos recipiendi, cum veniunt ad fidem.*

### C A P V T X X X .

Fideles nomina gentilium filiis suis ne impo-  
nant; sed potius omnis natio Christianorum suis  
nominibus vtatur, vt gentiles suis vtuntur; im-  
ponanturque nomina Christianorum \* secundum  
scripturam in baptismo, & baptizentur in nomi-  
ne sanctissimæ Trinitatis semper colendæ, & ado-  
randæ anima, mente, & corde; & sanctificant  
dies festos omnes. Sed si fuerint alii Christiani con-  
trarii in aliquibus, vocabuntur hæretici, & hoc no-  
mine appellabuntur, Ioanium, & Memarium, &  
Surianum, quæ nomina \* Arabice significant ho-  
mines secundum carnem, & non secundum Deum  
agentes; quamuis non corruerint scripturas,  
neque combusserint. Qui enim corruerunt, &  
dies festos mutauerunt, & fidem conturbarunt,  
ac confuderunt, reliqueruntque genuflexionem,  
spreuerunt ordinem ecclesiæ, & alium sibi mo-  
dum instituerunt, non debent appellari Mem-

ANNO CHRISTI 313. rium, sed potius homines perdit & errantes, & numerantur inter cultores idolorum, & veræ fidei negatores. Si vero aliquis ex istis conuersus fuerit, recipiat episcopus petitionem eius, & doceat eum, sicut recipiuntur & docentur Iudæi & gentiles; & baptizabuntur iterum, postquam sectam suam malam abnegauerint, & fidem ecclesiæ Dei confessi fuerint. Similiter intelligendum est de Secundiis, Marcuniis, Simonianis, Menandrianis, Sethianis.

Syn. Conf. cap. 7.

\* Secundum scripturam imponuntur nomina in baptismo, quia scriptum est in euangelio impositum esse nomen Ioanni, & Iesu in circumcisione, cui succedit baptismus. & Dionys. Areopag. in baptismo scribit dari nomen; quod ex sanctis apostolis didicit. Illud etiam aduertendum est, non imponi a fidelibus nomina gentilium, si quando in baptismo imponitur nomen Pompeii aut Octauii, & similium: non enim ut nomen gentilis, sed ut nostrum imponitur: sic enim gentilium nominibus tamquam nostris vti possumus, ut gentiles nostris tamquam suis vtebantur, cum Antonios, Marcos, & Marcellos, & Julianos vocabant.

\* Quia interpres e Græco, ut verbum verbo redderet, verbis aliquanto obscurioribus vsus erat, interpretatur verba Arabica obscuriora Arabicis clarioribus.

*De ratione & modo recipiendi conuersos ad fidem orthodoxam  
ex heresi Arii, & aliorum talium.*

### CAPVT XXXI.

Si quis ad fidem orthodoxam conuertatur, recipiendus est in ecclesiam per manus episcopi, vel presbyteri, qui præcipere ei debet, ut anathematizet cunctos qui contra fidem orthodoxam faciunt, & qui apostolicæ ecclesiæ contradicunt. Debetq; anathematizare Ariū & heresim eius, & aper te fidem profiteri, quam in hac perfecta confessio ne definiuimus, ac sincere fidelis esse. Oportet etiam anathematizare eos qui huic fidei non credunt, & eam non recipiunt. Et postquam hæc

Syn. Conf. cap. 7.

*Concil. Tom. 2.*

Ll ij